



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

I. Scholia in Constitutionem Concilii Lateranensis. II. Conservatorias
Ecclesiasticas quaest. 130. III. Conservatorum Laicorum materiam,
Tribunali viginti duûm virum Leod. adoptatam comprehendens

**Chokier, Érasme de
Coloniae Agr., 1684**

Quaestio 77. Exemptus si ratione rei non exemptæ conveniatur coram
ordinario, utrum ad conservatorem possit recurrere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61908)

do in privilegia Apostolica dolo malo seu malitiose delictum incurrat coe-
tione punitioneque dignum, aliquoties aliis in locis ostendimus, *infra quest. 78. q. 1.*

Q U A E S T I O L X X V I I .

Exemptus si ratione rei non exempta conveniatur coram ordinario, utrum
ad Conservatorem possit recurrere.

S U M M A R I U M .

1. Res eadem diverso jure censi non debet. *alieno territorio sita.*
2. Liber & subiectus nemo est. *5. Exemptio plena plene eximit.*
3. Diverso respectu eadem res diverso jure censi potest. *6. Constitutio Julii Papa eximentis personis & res etiam respectu officiorum aut beneficiorum.*
4. Sortitur quis forum ratione rei in

- 1 **A**rguitur posse. Quia res eadem diverso jure censi non debet, *cap. inani de decimis l. cum qui ades. ff. de usucap.* censeretur autem eadem res aut persona diverso jure, si persona persona sua respectu exempta esset, respectu autem rei non exempta subiecta non esset. Nam sicuti quispiam liber & subiectus esse non potest, ita nec exemptus ab ordinario & eidem subiectus esse potest, *arg. l. si duobus ff. de statu liberis*, & ita in exemptione personali sentit Abbas eandem extendens ad res non exemptas, in *cap. ad abolendam ubi etiam Joannes Anania de hereticis. Abb. cap. inarum in fine de privileg. & in cap. fin. de foro comp.* Verum Innocentius III. Pontifex Episcopo Lingonensi & quibusdam Abbatibus exemptionis Privilegiorum hac in Hypothesi quo ad res non exemptas, vires non habere descripsit, *cap. cum capella de privilegiis cap. ex ore sedentis §. fin. eod. tit. Covarruvias pract. quest. nu. 5.*
- Ratio est. Quia respectu diversorum jurium concurrentium eadem persona diverso jure censi potest, *cap. cum olim ubi DD. de re judic. c. sp. ex literis de probat. l. si consul. ff. de adopt. hoc est, ut persona exempta sit quo ad personam putamuram, non vero exempta quo ad rem quae non est exempta, d. cap. cum capellania DD. & glo. ibid. in verb. in quantum exempti.* Nam & sicut quispiam potest habere plura domicilia, *cap. ex parte de foro comp.* & tamen quo ad unum censi uno jure, & quo ad aliud jure diverso, ita & exemptus quispiam esse potest uno respectu, & alio respectu non exemptus, *cap. per tuas de major. & obed. cap. ex ore §. fin. &*

cap. *in fine de privilegiis*. Non secus quam in re quæ in alterius territorio sita est, cuius etiam respectu aliquis fortitur forum eius sub quo res ejus sita est. *Rom. conf. 361. cap. sanè & cap. fin. de foro comper. l. fin. C. ubi in rem actio*, quod & ego ostendi alio in loco, *de jurisdic. ord. in exemptos lib. 2. quest. 45. nu. 6.* uberiulque amplificationi multa rationum & exemptorum specie possit ex *Nicolao Everardi in locis legalibus à tanquam seu respectu*. Quæ tamen opinio limitanda est à tenore privilegii, *cap. porro de Privilegiis*, nimirum nisi speciali privilegio personæ & res omnino eximerentur, uti de privilegio Julii Papæ Clero Secundario Diocesis Leodiensis concessio constat. Quod hic subjicitur. Julius Episcopus, servus servorum Dei, in concessio constat. Quod hic subjicitur. Julius Episcopus, servus servorum Dei, in perpetuam rei memoriam, ex debito Pastoralis officii, nostris meritis licet insufficientibus ex alto commissi ad ea libenter intendimus, per quæ personatum Ecclesiasticarum eorumlibet commodis, utilitatibus, securitati & quieti valeat satisfacere provideri, ac aliàs disponimus & ordinamus, pro ut in Domino conspiciamus salubriter expedire, sanè pro parte dilectorum filiorum Decanorum & Capitulorum omnium & singulorum Collegiarum Ecclesiarum Civitatis & Diocesis Leodiens. nobis nuper exhibita petiitio continebat, quod licet omnes & singule Ecclesie prædictæ illarumque Decani & Capitula ac singuli Canonici & personæ illis suppositæ, à tanto tempore citra cujus contraria hominum memoria non existit, fuerint & sint ab omni jurisdictione, superioritate, visitatione, procuratione, correctione, Dominio, potestate Episcopi Leodiens. pro tempore existenter, suorumque Vicariorum & Officialium penitus exempta, libera & Sedi Apostolicæ immediatæ subiecta. Ita quod Episcopus Leodiensis Vicarii & Officialis prædicti etiam ratione delicti, contractus vel rei de illis tanquam exemptis & liberis nullatenus se intromiserint. Quia tamen multe ex dictis Ecclesiis etiam Parochiales existunt, & nonnullæ ex personis dictarum Ecclesiarum collegiatarum officiales suscipiunt, à nonnullis asseritur, ab Episcopo, Vicariis & Officialibus prædictis suscipiunt, à nonnullis asseritur, ipsas Ecclesias & earum personas in his quæ curam populi Parochiani concernunt, & ratione delictorum quæ dictas personas in officiis per eas susceptis prædictis pro tempore committere, præterea dictæ consuetudinis nequaquam fore exemptas & liberas, ac de exemptione, libertate & immediatæ ejusdem sedis subiectione alias quam longævam consuetudinem hujusmodi doceri non potest Decani & Capitula prædicti, dubitant contra exemptionem & libertatem prædictarum Collegiarum prædictarum asserentium, quod minus grave esset, immò scandala plurima exinde provenirent, si supra dictæ Ecclesie & earum personæ diverso jure videlicet libertatis & subiectionis censerentur, ubi enim subiectæ essent, non vana justitiæ propter odium libertatis in aliis, in eas faveret & in singulis casibus occurrentibus assiduis dicto longævo consuetudinis probatione ardentur &

gravarentur, quodque nuper venerabilis Frater noster modernus Episcopus Leodiens. certum Canonicum unius ex dictis Ecclesiis ratione asserti seu præcogniti delicti per dicti procuratorem causarum curiæ dicti Episcopi, non autem ut Canonicum ejusdem Ecclesiæ commissi, conatus fuit punire seu corrigere, & in eam jurisdictionem exercere, & dictus Canonicus se dicta exemptione tuctur, & illius ac forsan aliquarum aliarum ex dictis Ecclesiis & personarum earundem visitationem seu alia quavis occasione vel causa diversæ lites & causæ coram certis iudicibus tam in Romana curia quam extra eam inter Episcopum modernum & Capitula omnium Ecclesiarum hujusmodi pendent, nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictæ consuetudini pro illius subsistentia firmiori rebus Apostolicæ confirmationis adicere, illamque ad omnia & singula & etiam quæ coram populi Parochiali & dicta in dictis officiis pro tempore commissa concernunt extendere & ampliare, ac omnes & singulas Ecclesias illarumque Decanos & Capitula & singulos Canonicos & personas prædictas ab omni jurisdictione, superioritate, correctione, Dominio, potestate, visitatione, procuratione, subsidii, jucundis adventibus, impositionibus & decimis sive precariis dicti moderni pro tempore æstentis Episcopi Leodiens. nec non quorumcumque aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum & aliorum ordinariorum judicum, ac omnium Capitulorum Provincialium & Sinodaliū, aliorumque superiorum quavis autoritate functionum, suorum Vicariorum, Officialium, Procuratorum, Nuntiorum & commissariorum de novo prorsus eximere & totaliter liberare ac nobis & dictæ sedi dumtaxat immediate subicere, ac alias in præmissis opportunè providere de benigne Apostolica dignemur, nos igitur Decanos & Capitula hujusmodi ac ipsorum Capitulorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, dictarum causarum status præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, consuetudinem prædictam auctoritate Apostolica & ex certa scientia tenore præsentium approbamus ac præsentis scripti patrocinio communitimus, supplemusque omnes & singulos defectus tam juris quam facti, si qui forsan intervenerint in eadem, ipsamque consuetudinem ad omnia & singula, ea etiam, quæ curam populi Parochialis, & delicta in dictis officiis pro tempore commissa concernunt extendimus & ampliamus, nihilominus pro potiori cautela omnes & singulas Ecclesias illarumque Decanos Capitula & singulos Canonicos & personas prædictas ab omni jurisdictione, superioritate, correctione, Dominio, potestate, visitatione, procuratione subsidii jucundis adventibus, impositionibus & decimis sive precariis ejusdem moderni

& pro tempore existentis Episcopi Leodien. nec non quorumcumque aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum & aliorum ordinariorum iudicum & superiorum, omniumque Capitulorum Provincialium & Sinodaliū quavis auctoritate fugentium, locorumque Officialium, Vicariorum, procuratorum, nuntiorum & commissariorum praedictorum de novo prorsus eximimus & totaliter liberamus, ac nobis & dictae sedi dumtaxat immediatè subijcimus, ita quod ipsi Archiepiscopi, Episcopi & alij iudices superiores eorumque Vicarii, Officiales, Procuratores, nuntii & commissarii praefati aut eorum aliqui, etiam praetextu quarumvis literarum dictae sedis, quascumque Ecclesias, etiam derogatoriā derogatorias in se continentium, seu etiam ordinaria vel alia quacunquē auctoritate pro tempore suffulti, in Ecclesiis illarumque Decanis & Capitula singulosque Canonicos & personas huiusmodi aut eorum aliquem utpote prorsus exemptos, etiam ratione delicti, contractus vel rei de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, in contractus; aut res ipsa consistat, jurisdictionem superiorem, visitationem, procuracionem, correctionem, Dominium & potestatem aliquomodo exercere, aut in eos, seu eorum aliquem, excommunicationis, suspensionis & interdicti, seu qualvis alias sententias, censuras & penas promulgare nequeant quoquo modo, necque per quoscumque iudices, commissarios, delegatos, subdelegatos etiam causarum dicti Palatii auditores & S. Romanae Ecclesiae Cardinales tam in dicta curia quam extra eam in quibuscumque causis & quavis earum instantia nunc & pro tempore pendentes interpretari, sententiarum, iudicari & diffiniri debere, sublata eis cuilibet eorum quavis & aliter interpretandi, iudicandi, sententiandi potestate, facultate & auctoritate, omnesque & singulos processus, sententias, censuras, & penas quos & quas per Episcopos, Archiepiscopos & alios ordinarios iudices superiores, eorumque Vicarios, Officiales & Procuratores, nuntios & commissarios praedictos, seu eorum aliquem, haberi, institui aut promulgari, nec non quicquid secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter fieri & attentari contigerit, quaecumque pro tempore in defectu, nulla, irrita, inania, nulliusque momenti vel roboris fore & esse decernimus. Nec non duos unum videlicet per Civitatis & alterum per Diocesis Leodien. Ecclesias praedictas pro Ecclesiis extra Dominia Archiducis Austriae & Brabantiae pro tempore existentibus, & duos alios ex Decanis supra dictis pro omnibus Ecclesiis sub dictis Dominis dictae Diocesis assumendos in visitatores dictarum Ecclesiarum constituimus & deputamus, & in illis circa earum personas tam in capitibus quam in membris quoties oportuum fuerit, debita visitationis officium auctoritate nostra exercere valeant, ordinarii loci & cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita ac Sancti Petri Leodien. & eiusdem Sancti Petri Lovanien. ac Sancti Ioannis Bafcoducen. dictae Diocesis Ecclesiarum Decanis nunc & pro tempore existentibus, & eorum cuilibet in solidum, & quascumque personas Ecclesiarum praedictarum

rum à sententia excommunicationis, quàm ob violentiam in personas Ecclesiasticas manuum injectionem incurere pro tempore contigerit, nec non à quibuscumque eorum peccatis, excessibus, criminibus & delictis de quibus verè contriti & ore confessi fuerint, dummodo eidem Sedi specialiter reservata non existant, vel talia non sint, propter quæ dicta sedes veniat merito consulenda in forma Ecclesiæ consueta, dicta autoritate absolvere, eisq; pro modo culpæ penitentiam salutarem injungere, cum eis super omnibus & singulis in quibus dictus Episcopus Leodien. pro tempore existens quacumque autoritate dispensare possit, & quibuscumque Sacerdotibus secularibus vel cuiusvis ordinis regularibus, etiam curam populi seu alia Privilegia desuper non habentibus vices suas ingerere vel in specie committere, subdelegare valeant, plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus, non obstantibus libris, causis & aliis præmissis ac felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri contra exemptos quæ incipit, Volentes, & quibusvis aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non literis prædictis ac dictarum etiam Leodien. Ecclesiarum juramento confirmata, Apostolica vel quavis firmitate alia noboratis statutis & consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis & literis Apostolicis Ecclesiis prædictis aut aliis quovis modo & etiam motu proprio & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter & sub quibusvis verborum formis & expressionibus, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, fortioribus, efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusq; & aliis decretis concessis ac etiam per nos, & dictam sedem etiam iteratis vicibus approbatis, innovatis, & de novo similiter concessis, quibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus plena, expressa, specialis, specifica & individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales id importantes mentio seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenoris huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque volumus autem quod præsentium litterarum transumptis, manu alicujus publici notarii subscriptis & sigillo alicujus Episcopi vel Episcopalis aut superioris curiæ muniti, ea prorsus fides ubique in iudicio & extra adhibeatur, quæ adhibetur originalibus litteris si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, communitiois, suppletionis, extentionis, ampliationis & voluntatis infringementis vel ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se novet incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Domini millesimo quingentesimo duodecimo tertio, Id Augusti, Pontificatus nostri Anno nono.

Quæ